

1 Tertulliani liber Adversus Iudaeos

ADVERSUS IUDAEOS

I. [1] Proxime accidit: disputatio habita est Christiano et proselyto Iudeo. Alternis vicibus contentioso fune uterque diem in vesperam traxerunt. Obstrepentibus quibusdam ex partibus singulorum nubilo quodam veritas obumbrabatur. Placuit ergo, [ut] quod per concentum disputationis minus plene potuit dilucidari, curiosius inspectis lectionibus stilo quaestiones retractatas terminare. [2] Nam occasio quidem defendendi etiam gentibus [sibi] divinam gratiam hinc habuit praerogativam, quod sibi vindicare dei legem instituerit homo ex gentibus nec prosapia Israelitum Iudeus. [3] Hoc enim sat est, posse gentes admitti ad dei legem, ne Israel adhuc superbiat, quod gentes velut stillicidium de urceo aut pulvis ex area deputentur. Quamquam habeamus ipsum deum idoneum pollicitatorem et fidelem sponsorem qui Abrahae promiserit, quod in semine eius benedicerentur omnes nationes terrae et quod ex utero Rebeccae duo populi et duae gentes essent processurae, utique Iudeorum id est Israelis et gentium id est noster. [4] Uterque ergo et populus et gens est appellatus, ne de nominis appellatione privilegium gratiae sibi quis audeat defendere. Duos etenim populos et duas gentes processuras ex unius feminae utero deus destinavit, nec discrevit gratiam in nominis appellatione sed in partus editione, ut qui prior esset de utero processurus minori subiceretur id est posteriori. Sic namque ad Rebeccam deus locutus est dicens: *Duae gentes in utero tuo sunt, et duo populi de utero tuo dividuntur, et populus populum superabit, et maior serviet minori.* [5] Itaque cum populus seu gens Iudeorum anterior sit tempore et maior per gratiam primae dignationis in lege, noster vero minor aetate temporum intellegatur utpote in ultimo saeculi spatio adeptus notitiam divinae miserationis, procul dubio secundum edictum divinae elocutionis prior maior populus id est Iudaicus serviat necesse est minori et minor populus id est Christianus superet maiorem. [6] Nam et secundum divinarum scripturarum memorias populus Iudeorum id est antiquior derelicto deo idolis deservivit et divinitate abrelicta simulacris fuit deditus dicente populo ad Aaron: *Fac nobis deos qui nos antecedant.* Quod cum ex monilibus feminarum et analis virorum aurum fuissest igne conflatum et processisset eis bubulum caput, huic figmento universus Israel abrelicto deo honorem dederunt dicentes: *Hi sunt dei qui nos eiecerunt de terra Aegypti.* [7] Sic namque posterioribus temporibus quibus reges eis imperabant et cum Hieroboam vaccas aureas et lucos colebant et Bahali se mancipabant. Unde probatur eos semper idolatriae crimine reos designatos ex instrumento divinarum scriptuarum. Noster vero populus id est posterior relictis idolis quibus ante deserviebat ad eundem deum conversus est, a quo Israel, ut supra memoravimus, abscesserat. [8] Sic namque populus minor id est posterior populum maiorem superavit, dum gratiam divinae dignationis consequitur, a qua Israel est repudiatus.

II. [1] Igitur gradum conseramus et summam quaestioneis certis lineis terminemus. Cur etenim deus universitatis conditor mundi totius gubernator hominis plasmator universarum gentium sator legem per Moysen uni populo dedisse credatur et non omnibus gentibus adtribuisse dicatur? [2] Nisi enim omnibus eam dedisset, nullo pacto ad eam etiam proselytos ex gentibus accessum habere permetteret. Sed ut congruit bonitati dei et aequitati ipsius utpote plasmatoris generis humani, omnibus gentibus eandem legem dedit, quam certis statutis temporibus observari praecepit, quando voluit et per quos voluit et sicut voluit. Namque in principio mundi ipsius Adae et Evae legem dedit, ne de fructu arboris plantatae in medio paradisi ederent; quod si contra fecissent, morte morerentur. Quae lex eis sufficeret, si esset custodita. [3] In hac enim lege Adae data omnia praecepta condita recognoscimus quae postea pullulaverunt data per Moysen, id est: *Diliges dominum deum tuum de todo corde tuo et ex tota anima tua, et: Diliges proximum tibi tamquam te,* et: *Non*

occides, non moechaberis, non fraudaberis, falsum testimonium non dices, honora patrem tuum et matrem, et: Alienum non concupisces. [4] Primordialis enim lex est data Adae et Evae in paradyso quasi matrix omnium praeceptorum dei. Denique si dominum deum suum dilexisserint, contra praeceptum eius non fecissent; si proximum diligenterent id est semetipsos, persuasiōni serpentis non credidissent atque ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate faciendo contra dei praeceptum; [5] a furto quoque abstinuissent, si de fructu arboris non clam degustassent, nec a conspectu domini dei sui sub arbore delitescere gestissent, nec falsum adseveranti diabolo participes efficerentur credendo ei quod similes dei essent futuri, atque ita nec deum offendissent ut patrem qui eos de limo terrae quasi ex utero matris figuraverat; si alienum non concupiscent, de fructu inlicito non degustassent. [6] Igitur in hac generali et primordiali dei lege, quam in arboris fructu observari deus sanxerat, omnia praecepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quae suis temporibus edita germinaverunt. Eiusdem est enim postea superducere legem qui ante praemiserat praeceptum, quoniam et ipsius est erudire postea qui ante iustos formare instituerat. [7] Quid enim mirum, si is auget disciplinam qui instituit, si is perficit qui coepit? Denique ante legem Moysei scriptam in tabulis lapideis legem fuisse contendo non scriptam, quae naturaliter intellegebatur et a patribus custodiebatur. Nam unde Noe iustus inventus, si non illi naturalis legis iustitia praecedebat? Unde Abraham amicus dei deputatus, si non de aequitate et iustitia legis naturalis? Unde Melchisedech sacerdos dei summi nuncupatus, si non ante Leviticae legis sacerdotium Levitae fuerunt qui sacrificia deo offerebant?

[8] Sic etenim post supra scriptos patriarchas data lex est Moysi eo tempore, posteaquam ab Aegypto excesserunt, post [intervallum] multorum temporum spatia. Denique post quadringentos et triginta annos Abrahae data est lex. [9] Unde intellegimus dei legem iam ante Moysen nec in Choreb tantum aut in Sina et in eremo primum, sed antiquorem primum in paradyso, post deinde patriarchis atque ita et Iudaeis certis temporibus data quando voluit et certis temporibus reformatam, ut non iam ad Moysi legem ita attendamus quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem quam certo tempore deus et gentibus exhibuit [et] repromissam per prophetas et in melius reformatum et praemonuit futurum, ut, sicuti certo tempore data est lex per Moysen, ita temporaliter observata et custodita credatur.

[10] Nec adimamus hanc dei potestatem pro temporum condicione legis praecepta reformantem in hominis salutem. Denique qui contendit et sabbatum adhuc observandum quasi salutis medellam et circumcisionem octavi diei propter mortis comminationem, doceat in praeteritum iustos sabbatizasse aut circumcidisse et sic amicos dei effectos. [11] Nam si circumcisionio purgat hominem, deus Adam incircumcisum cum faceret, cur eum non circumcidit vel posteaquam deliquit, si purgat circumcisionio? Certe in paradyso constituens eum incircumcisum colonum paradii praefecit. [12] Igitur cum neque circumcisionum neque sabbatizantem deus Adam instituerit, consequenter quoque sobolem eius Abel offerentem sibi sacrificia incircumcisum nec sabbatizantem laudavit, accepto ferens quae offerebat in simplicitate cordis et reprobans sacrificium fratris eius Cain, qui quod offerebat non recte dividebat. [13] Noe quoque incircumcisum deus sed et non sabbatizantem de diluvio liberavit. Nam et Enoch iustissimum non circumcisionum nec sabbatizantem de hoc mundo transtulit qui neendum mortem gustavit, ut aeternitatis candidatus iam nobis ostenderet nos quoque sine legis onere Moysis deo placere posse. [14] Melchisedech quoque summi dei sacerdos incircumcisus et non sabbatizans ad sacerdotium dei adlectus est. Probat et Loth frater Abrahae, quod pro meritis iustitiae suae sine legis observatione de Sodomitarum incendio sit liberatus.

III. [1] "Sed Abraham, inquis, circumcisus est." Sed ante deo placuit quam circumcideretur nec tamen sabbatizavit. Accepérat enim circumcisionem, sed quae esset in signum temporis illius non in salutis praerogativam. Denique sequentes patriarchae incircumcisi fuerunt ut Melchisedech, qui ipsi Abrahae iam circumcisio revertenti de proelio panem et vinum obtulit incircumcisus. "Sed et filius, inquit,

Moysi tum ab angelo praefocatus fuisse, si non Seffora mater eius calculo praeputium infantis circumcidisset. Unde [inquit] occisionis maximum periculum est, si praeputium carnis quis non circumciderit." [2] Atquin si salutem circumcisio omnimodo adferret, etiam ipse Moyses in filio suo non intermisisset, quominus octava die circumcideret eum, cum constet Sefforam coactam ab angelo id fecisse in itinete. consideremus itaque, quod non potuerit unius infantis coacta circumcisio omni populo praescribere et quasi legem huius praecepti condere in salutem. [3] Nam providens deus, quod hanc circumcisionem in signum non in salutem esset daturus populo Israeli, idcirco filium Moysi ducis futuri instigat circumcidere, ut cum coepisset per eum populo dare praeceptum circumcisionis non aspernaretur populus videns exemplum istud in ducis filio iam celebratum. [4] Dari enim habebat circumcisione, sed in signum unde Israel in novissimo tempore dinosci haberet, quando secundum sua merita in sanctam civitatem ingredi prohiberetur -- secundum verba prophetarum dicentium: *Terra vestra deserta, civitates vestrae igni exustae, regionem vestram in conspectu vestro extranei comedent, et deserta et subversa a populis extraneis derelinquetur filia Sion, sicut casa in vinea et sicut custodiarium in cucumerario et quasi civitas quae expugnatur.* [5] Cur ita? Quoniam subsequens sermo prophetae exprobrat eis dicens: *Filios genui et exaltavi, ipsi autem reprobaverunt me, et: Si extenderitis manus, avertam faciem meam a vobis; et si multiplicaveritis preces, non exaudiant vos; manus enim vestrae sanguine plena sunt, et: Vae gens peccatrix, populus plenus delictis, filii scelesti, dereliquistis dominum et ad indignationem provocastis sanctum Israelis.*

[6] Haec igitur dei providentia fuit, dandi circumcisionem in signum unde dinosci possent, cum adveniret tempus cum pro meritis suis supradictis in Hierusalem admitti prohiberentur; quod et quia futurum erat nuntiabatur, et quia factum videmus recognoscimus. [7] Sicut enim circumcisione carnalis quae temporalis erat imbuta est in signum populo contumaci, ita spiritalis data est in salutem populo obaudienti dicente Hieremia: *Innovate vobis novitatem et ne seminaveritis in spinis; circumcidimini deo et circumcidite praeputium cordis vestri.* Et alio loco dicit: *Ecce enim dies veniunt, dicit dominus, et disponam domui Iudee et domui Iacob testamentum novum, non tale quale dedi patribus eorum in die quo eos eduxi de terra Aegypti.* [8] Unde intellegimus et priorem circumcisionem tunc datam cessaturam et novam legem, non talem quam iam dederat patribus, processuram adnuntiari, sicut Esaias praedicabat dicens, quod in novissimis diebus manifestus futurus esset mons domini et domus dei super vertices montium. *Et exaltabitur, inquit, super colles et venient super illum omnes gentes et ambulabunt multi et dicent: venite, ascendamus in montem domini et in domum dei Iacob,* non in Esau prioris filii, sed Iacob sequentis id est populi nostri, cuius mons Christus, sine manibus concidentium praecisus implens omnem terram apud Danielem ostensus. [9] Denique ex hac domo dei Iacob etiam legem novam processuram sequentibus verbis adnuntiat Esaias dicens: *Ex Sion enim exiet lex et verbum domini ex Hierusalem, et iudicabit inter gentes,* id est inter nos qui ex gentibus sumus vocati; *et concidet, inquit, gladios suos in aratra et lanceas suas in falces, et non accipiet gens super gentem gladium, et iam non discent pugnare.* [10] Qui igitur intelleguntur alii quam nos qui in nova lege edocti ista observamus oblitterata veteri lege cuius abolitionem futuram actus ipse demonstrat? Nam et vetus lex ultione gladii se vindicabat et oculum pro oculo eruebat et vindicta iniuriam retribuebat, nova autem lex clementiam designabat et pristinam ferocitatem gladiorum et lancearum ad tranquillitatem convertebat et bellum pristinam in aemulos et hostes executionem in pacificos actus arandae et colendae terrae reformabat. [11] Igitur sicuti supra ostendimus, quod vetus lex et circumcisione carnalis cessatura pronuntiata est, ita et novae legis et spiritalis circumcisionis observantia in pacis obsequio eluxit. *Populus enim [inquit] quem non noveram servivit mihi, in obauditu auris obauavit mihi prophetae adnuntiaverunt.* [12] Quis autem populus qui deum ignorabat, nisi noster qui retro deum nesciebamus, et quis in auditu auris obaudivit ei, nisi nos qui relictis idolis ad deum conversi sumus? [13] Nam Israel, qui deo fuerat cognitus quique ab eo in Aegypto exaltatus fuerat et per Erythraeum pelagum transvectus quique in eremo manna cibatus XL annis ad instar aëtermatis redactus nec humanis passionibus contaminatus aut

saeculi huius cibis pastus sed angelorum panibus [manna] cibatus satisque beneficiis
deo obligatus, domini et dei sui oblitus est dicens ad Aaron: *Fac nobis deos
qui nos antecedant; Moyses enim ille qui nos eiecit de terra Aegypti dereliquit nos, et quid
illi acciderit nescimus.* Et ideo nos, qui non populus dei retro, facti sumus populus
eius accipiendo novam legem supra dictam et novam circumcisionem ante praedictam.

IV. [1] Sequitur itaque ut, quatenus circumcisionis carnalis et legis veteris abolitio
expuncta suis temporibus demonstratur, ita[que] sabbati quoque observatio temporaria
fuisse demonstretur. Dicunt enim Iudei, quod a primordio sanctificaverit
deus diem septimum requiescendo in eo ab omnibus operibus suis quae fecit, et
inde etiam Moysen dixisse ad populum: *Mementote diem sabbatorum, sanctificare eum ;
omne opus servile non facietis in eo*, praeterquam quod ad animam pertinet. [2] Unde nos
intellegimus magis sabbatizare nos ab omni opere servili semper debere et non
tantrum septimo quoque die sed per omne tempus. Ac per hoc querendum nobis,
quod sabbatum nos deus velit custodire. Nam sabbatum aeternum et sabbatum
temporale scripturae designant. Dicit enim Esaias propheta: *Sabbata vestra odit
anima mea*. Et alio loco dicit: *Sabbata mea profanastis*. [3] Unde dinoscimus sabbatum
temporale esse humanum et sabbatum aeternum censeri divinum, de quo per
Esaiam praedicat: *Et erit, inquit, mensis ex mense et dies de die et sabbatum de sabbato,
et veniet omnis caro adorare in Hierusalem, dicit dominus*. [4] Quod intellegimus adimpletum
temporibus Christi, quando omnis caro id est omnis gens adorare in Hierusalem
venit deum patrem per Iesum Christum filium eius, sicut per prophetas praedicatum
est: *Ecce proselyti per me ad te ibunt*. [5] Sic igitur ante hoc sabbatum temporale
erat et sabbatum aeternum praeostensum et praeindictum, quomodo et ante
circumcisionem carnalem fuit et spiritualis circumcisio praeostensa. [6] Denique doceant,
sicut iam praelocuti sumus, Adam sabbatizasse aut Abel hostiam deo sanctam offerentem
sabbati religione placuisse aut Enoch translatum sabbati cultorem fuisse aut
Noe arcae fabricatorem propter diluvium imminens sabbatum observasse aut
Abraham in observatione sabbati Isaac filium suum obtulisse aut Melchisedech in
suo sacerdotio legem sabbati accepisse. [7] Sed dicturi sunt Iudei, ex quo hoc praeceptum
datum est per Moysen, exinde observandum fuisse. Manifestum est itaque
non aeternum sed temporale fuisse praeceptum quod quandoque cessaret. [8] Denique
adeo non in vacatione septimi diei haec sollemnitas celebranda est, ut Iesus Nau
eo tempore quo Hiericho civitatem debellabat praeceptum sibi a deo diceret, uti
populo mandaret, ut sacerdotes arcum testamend dei septem diebus circumferrent
in circuitu civitatis, atque ita septimi diei circuitu peracto sponte ruerent muri
civitatis. [9] Quod ita factum est, et finito spatio diei septimi, sicut praedictum erat,
ruerunt muri civitatis. Ex quo manifeste ostenditur in numero istorum dierum
septem incurrisse diem sabbati -- septem enim dies, undecimque initium acceperint,
sabbati diem secum concludant necesse est --, quo die non tantum sacerdotes
sint operati, sed et in ore gladii praeda facta sit civitatis ab omni populo Israele;
[10] nec dubium est opus servile eos operatos, cum praedas belli agerent ex dei praecepto.
Nam et temporibus Machabaeorum sabbatis pugnando fortiter fecerunt et
hostes allophylos expugnaverunt legemque paternam ad pristinum vitae statum
pugnando sabbatis revocaverunt; [11] nec putem aliam legem eos defendisse nisi in
qua de die sabbatorum meminerant esse praecriptum. Unde manifestum est ad tempus
et praesentis causae necessitatem huiusmodi praecepta convaluisse et non ad
perpetui temporis observationem huiusmodi legem eis deum ante dedisse.

V. [1] Sic et sacrificia terrenarum oblationum et spiritualium [sacrificiorum] praedicata
ostendimus, et quidem a primordio maioris filii id est Israelis terrena fuisse in
Cain praeostensa sacrificia, sed minotis filii [Abel] id est populi nostri sacrificia
diversa demonstrata. [2] Namque maior natu Cain de fructu terrae obtulit munera deo,
minor vero filius Abel de fructu ovium suarum. *Et respexit deus in Abel et in munera
eius, in Cain autem et in munera eius non respexit.* Et dixit deus ad Cain: *quare concidit
vultus tuus ? Nonne, si recte quidem offeras non recte autem dividas, peccasti ? Quiesce; ad te
enim conversio eius et tu dominaberis eius.* Et tunc dixit Cain ad Abel fratrem suum: *eamus*

in campum. Et abiit cum eo illic et interfecit eum. Et tunc dixit deus ad Cain: ubi est Abel frater tuus? et dixit: nescio; numquid custos fratris mei sum ego? cui deus dixit: vox sanguinis fratris tui proclamat ad me de terra. Propter quod maledicta terra quae aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui. Et gemens et tremens eris super terram, et omnis qui te invenerit occidet te. [3] Ex hoc igitur actu duplia duorum populorum sacrificia praeostensa iam tunc a primordio animadvertisimus. Denique cum per Moysen in Levitico lex sacerdotalis conscriberetur, invenimus praescriptum populo Israeli, ut sacrificia nullo alio in loco offerrentur deo quam in terra promissionis, quam dominus deus datus esset patribus eorum, ut introducto Israele illic celebrarentur sacrificia et holocausta tam pro peccatis quam pro animabus et nusquam alibi nisi in terra sancta. [4] Cur itaque postea per prophetas praedicat spiritus futurum, ut in omni loco et in omni terra offerantur sacrificia deo? Sicuti per Malachiam unum ex duodecim prophetis dicit: *Non recipiam sacrificium de manibus vestris, quoniam ab oriente sole usque in occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus, dicit dominus omnipotens, et in omni loco offeruntur sacrificia munda nomini meo.* Item in psalmis David: *Adferte deo, patriae gentium, indubitate quod in omnem terram exire habebat praedicatio apostolorum, adferte deo claritatem et honorem, adferte deo sacrificium nominis eius; tollite hostiam et introite in atria eius.* [5] Namque quod non terrenis sacrificiis sed spiritualibus deo litandum sit, ita legimus ut scriptum est: *Cor contribulatum et humiliatum hostia deo est, et alibi: Sacrifica deo sacrificium laudis et redde altissimo vota tua.* Sic itaque sacrificia spiritualia laudis designantur et cor contribulatum acceptabile sacrificium deo demonstratur. [6] Itaque quomodo carnalia sacrificia reprobata intelleguntur -- de quibus et Esaias loquitur dicens: *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit dominus, quoniam et si adulteritis mihi, inquit, similam, vanum supplicamentum execramentum mihi est, et adhuc dicit: Holocaustomata et sacrificia vestra et adipem hircorum et sanguinem taurorum nolo, nec si veniatis videri mihi; quis enim exquisivit ista de manibus vestris?* --, ita sacrificia spiritualia accepta praedicantur, ut prophetae adnuntiant. [7] Carnalia vero sacrificia, de quibus praedicatum est: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus, sacrificia non accipiam de manibus vestris, quoniam ab oriente sole usque in occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus, dicit dominus.* De spiritualibus vero sacrificiis addit dicens: *Et in omni loco sacrificia munda offerunt nomini meo, dicit dominus.*

VI. [1] Igitur cum manifestum sit et sabbatum temporale ostensem et sabbatum aeternum praedicatum, circumcisionem quoque carnalem praedictam et circumcisionem spiritalem praecindatam, legem quoque temporalem et legem aeternalem denuntiatam, sacrificia carnalia et sacrificia spiritualia praeostensa, sequitur ut praecedenti tempore datis omnibus istis praecepsis carnaliter populo Israeli superveniret tempus, quo legis antiquae et caeremoniarum veterutn pracepta cessarent et novae legis promissio et spiritualium sacrificiorum agnitio et novi testamenti pollicitatio superveniret fulgente nobis lumine ex alto qui sedebamus in tenebris et in umbra mortis detinebamur. [2] Itaque necessitas nobis incumbit ut, quoniam praedicatam novam legem a prophetis praediximus et non talem, qualis iam data esset patribus eorum eo tempore quo eos de terra Aegypti produxit, ostendere et probare debeamus tam illam legem veterem cessasse quam legem novam promissam nunc operari: et quidem primum quaerendum, an expectetur novae legis lator et novi testamenti heres et novorum sacrificiorum sacerdos et novae circumcisionis purgator et aeterni sabbati cultor, qui legem veterem compescat et novum testamentum statuat et nova sacrificia offerat et caeremonias antiquas reprimat et circumcisionem veterem cum suo sabbato compescat et novum regnum quod non corrumpatur adnuntiet. [3] Nam etiam novae legislator sabbati spiritualis cultor sacrificiorum aeternorum antistes regni aeterni dominator quaerendum an venerat necne, ut si iam venit serviendum sit illi, si nequum venit sustinendus sit, dummodo manifestum sit adventu eius comprimi legis veteris praecpta et oriri debere novae legis exordia. [4] Et in primis definiendum est non potuisse cessare legem antiquam et prophetas, nisi venisset is qui per eandem legem et per eosdem prophetas venturus

adnuntiabatur.

VII. [1] Igitur in isto gradum conseramus, an qui venturus Christus adnuntiabatur iam venerit an venturus adhuc speretur. Quod ipsum ut probari possit, etiam tempora sunt nobis requirenda quando venturum Christum prophetae nuntiaverint, ut, si intra ista tempora recognoverimus venisse eum, sine dubio ipsum esse credamus quem prophetae venturum canebant, in quem nos, gentes scilicet, credituri adnuntiabamur, et cum constiterit venisse indubitate etiam legem novam ab ipso datam esse credamus et testamentum novum in ipso et per ipsum nobis dispositum non diffiteamur. [2] Venturum enim Christum et Iudeos non refutare scimus, utpote qui in adventum eius spem suam porrigant. Nec de isto pluribus quaerendum, cum retro omnes prophetae de eo praedicaverunt, ut Esaias: *Sic dicit dominus deus Christo meo domino: cuius tenui dexteram, ut exaudiant illum gentes; fortitudines regum disrumpam, aperiam ante illum portas, et civitates non cludentur illi.* Quod ipsum adimpletum iam videmus. [3] Cui etenim tenet dexteram pater deus nisi Christo filio suo, quem et exaudierunt omnes gentes, id est cui omnes gentes crediderunt, cuius et praedicatorum apostoli in psalmis David ostenduntur: *In universam, inquit, terram exivit sonus eorum et ad terminos terrae verba eorum?* [4] In quem enim alium universae gentes crediderunt nisi in Christum qui iam venit? Cui etenim crediderunt gentes, *Parthi et Medi et Elamitae et qui habitant Mesopotamiam Armeniam Phrygiam Cappadociam, incolentes Pontum et Asiam Pamphyliam, immorantes Aegypto et regiones Africæ quae est trans Cyrenen inhabitantes, Romani et incolae, tunc et in Hierusalem Iudei et ceterae gentes, ut iam Gaetulorum varietates et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini et Galliarum diversae nationes et Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et abditarum multarum gentium et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum et quae enumerare minus possumus?* [5] In quibus omnibus locis Christi nomen qui iam venit regnat, utpote ante quem omnium civitatum portae sunt apertae et cui nullae sunt clausae, abante quem ferreae serae sunt comminutae et valvae aereae sunt apertae. [6] Quamquam ista et spiritualiter sint intellegenda, quod praecordia singulorum variis modis a diabolo obsessa fide Christi sint reserata, attamen etiam perspicue sunt adimpta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitet. Quis enim omnibus gentibus regnare potuisset, nisi Christus dei filius qui omnibus regnaturus in aeternum nuntiabatur? [7] Nam si Solomon regnavit, sed in finibus Iudeae tantum: a Bersabee usque Dan termini regni eius signantur; si vero Babyloniis et Parthis regnavit Darius, ulterius ultra fines regni sui non habuit potestatem in omnibus gentibus; si Aegyptiis Pharao vel quisque ei in hereditario regno successit, illic tantum potitus est regni sui dominium; si Nabuchodonosor cum suis regulis, ab India usque Aethiopiam habuit regni sui terminos; si Alexander Macedo, non amplius quam Asiam universam et ceteras regiones quas postea devicerat tenuit; [8] si Germani, adhuc usque limites suos transgredi non sinuntur. Britanni intra oceani sui ambitum clausi sunt, Maurorum gentes et Gaetulorum barbariae a Romanis obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de ipsis Romanis dicam, qui legionum suarum praesidiis imperium suum muniunt nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt? [9] Christi autem nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur; omnibus ubique tribuitur aequaliter; non regis apud illum maior gratia, non barbari alicuius inferior laetitia; non dignitatum vel natalium cuiusquam discreta merita; omnibus aequalis, omnibus rex, omnibus iudex, omnibus deus et dominus est. Nec dubites credere quod adseveramus, cum videas fieri.

VIII. [1] Itaque requirenda tempora praedicta et futurae nativitatis Christi et passionis eius et exterminii civitatis Hierusalem id est vastationis eius. Dicit enim Daniel et civitatem sanctam et sanctum exterminari cum duce venturo et destrui pinnaculum usque ad interitum. [2] Venturi itaque Christi ducis sunt tempora requirenda, quae investigabimus in Danielo; quibus computatis probabimus venisse

eum etiam ex temporibus praescriptis et ex signis competentibus et ex operationibus eius; quae proba~~bi~~mus et ex consequentibus quae post adventum eius futura adnuntiabantur, ut iam adimpta omnia praecepta credamus. [3] Sic igitur de eo Daniel praedicavit, ut quando et quo in tempore gentes esset liberaturus ostenderet et quoniam post passionem ipsa civitas exterminari haberet. [4] Dicit enim sic: *In primo anno sub Dario filio Assueri a semine Medorum qui regnavit super regnum Chaldaeorum ego Daniel intellixi in libris numerum annorum. Et adhuc me loquente in oratione ecce vir Gabriel quem vidi in visione in principio volans et tetigit me quasi hora sacrificii vespertini et intellegere fecit me et locutus est tecum et dixit: Daniel, nunc exivi imbuere te intelligentia, in principio obsecrationis tuae exivit sermo.* [5] *Et ego veni ut adnuntiem tibi, quia vir desideriorum tu es, et cogita in verbo et intellege in visione: septuaginta ebdomades breviatae sunt super plebem tuam et super civitatem sanctam, quoadusque inveteretur delictum et signentur peccata et exorentur iniustitiae et inducatur iustitia aeterna et [ut] signetur visio et prophetes et unguatur sanctus sanctorum. Et scies et percipies et intelleges: a profecione sermonis in integrando et aedificando Hierusalem usque ad Christum ducem ebdomades <septem et dimidia et ebdomades> sexaginta et duas et dimidia; et convertet et aedificabit in latitudinem et convallationem et innovabuntur tempora.* [6] *Et post ebdomadas has sexaginta et duas <et dimidiam> exterminabit unctionis non erit, et civitatem et sanctum exterminabit cum duce adveniente, et concidentur quomodo in cataclysmo usque in finem belli quod concidetur usque ad interitum. Et confirmabit testamentum in multis; ebdomada una et dimidia ebdomadis auferetur meum sacrificium et libatio, et in sancto execratio vastationis, et usque ad finem temporis consummatio dabitur super hanc vastationem.* [7] Animadvertisimus igitur, terminum quomodo in vero praedicit LXX ebdomadas futuras; in quibus si reciperent eum, *aedificabitur in latitudinem et longitudinem et innovabuntur tempora.* [8] Providens autem deus quid esset futurum, quoniam non tantum non recipient eum verum et in sequentur et tradent eum morti, et recapitulavit et dixit intra LX et II et dimidiam ebdomadas nasci illum et unguis sanctum sanctorum, ebdomadas autem VII et dimidia cum implerentur, pati habere et civitatem exterminari post I et dimidiad ebdomadam, quo scilicet VII et dimidia ebdomades completas sunt. Dicit enim sic: et civitatem et sanctum exterminari cum duce venturo [*et concidentur sicut in cataclysmo*] et destrui pinnaculum usque ad interitum.

[9] Unde igitur ostendimus, quoniam venit Christus intra LX et II et dimidiad ebdomadas? Numerabimus autem a primo anno Darii, quoniam in ipso tempore Danieli visio ostenditur. Dicit enim: *et intellege et conice a profecione sermonis respondere me tibi haec. Unde a primo anno Darii debemus computare, quando hanc vidit visionem Daniel.* [10] Videamus igitur, anni quomodo implentur usque ad adventum Christi: Darius enim regnavit annis XVIII; Artaxerxes annis XL et I; deinde rex Ochus qui et Cyrus annis XX et III; Argus anno I; alius Darius qui et Melas nominatus est annis XX et I; Alexander Macedo annis XII; deinde post Alexandrum, qui et Medis et Persis regnaverat quos devicerat et in Alexandria regnum suum firmaverat, quando et nomine suo eam appellavit, -- post eum regnavit illic in Alexandria Soter annis XXX et V; cui succedit Philadelphus regnans annis XXX et VIII; huic succedit Euergetes annis XX et V; deinde Philopator annis XVII; post hunc Epiphanes annis XX et III; item aliis Euergetes annis XX et VII; item aliis Soter annis XXX et VIII; Ptolemaeus annis XXX et VII; Cleopatra annis XX et II mensibus V; item adhuc Cleopatra conregnavit Augusto annis XIII; post Cleopatram Augustus aliis annis XL et III imperavit -- nam omnes anni imperii Augusti fuerunt L et VI -- [11] videmus autem, quoniam in quadragesimo et primo anno imperii Augusti, quo post mortem Cleopatrae vicesimo et octavo anno imperavit, nascitur Christus. Et supervixit idem Augustus ex quo natus est Christus annis XV et erunt reliqua tempora annorum [in diem nativitatis Christi, in annutn Augusti quadragesimum et primum, qui post mortem Cleopatrae vicesimus et octavus Augusto]: efficiuntur anni CCCCXXX et VII menses V in die nativitatis Christi. [12] Et manifestata est iustitia aeterna et unctionis est sanctus sanctorum id est Christus et signata est visio et prophetes et dimissa sunt peccata, -- quae per fidem nominis Christi omnibus in eum creditibus tribuuntur. Quid est autem quod dicit

signari visum et prophetiam? Quoniam omnes prophetae nuntiabant de illo, quod esset venturus et pati haberet, igitur quoniam adimpta est prophetia per adventum eius, propterea signari visionem et prophetiam dicebat, quoniam ipse est signaculum omnium prophetarum adimplens omnia quae retro de eo nuntiaverant.

[13] Post enim adventum eius et passionem ipsius iam non visio neque prophetes qui Christum nuntiet venturum. Denique si non hoc ita est, exhibeant Iudei prophetarum post Christum aliqua volumina, angelorum aliquorum visibilia miracula, quae retro patriarchae viderunt usque ad adventum Christi qui iam venit. [14] Ex quo signata est visio et prophetia id est statuta, et merito evangelista: *Lex et prophetae usque ad Iohannem baptizatorem*. Baptizato enim Christo id est sanctificante aquas in suo baptismate omnis plenitudo spiritualium retro charismatum in Christo cesserunt signante visiones et prophetias omnes quas adventu suo adimplevit. [15] Unde firmissime dicit adventum eius signare visum et prophetiam.

Itaque ostendentes et numerum annorum et tempus LX et II et dimidia ebdomadarum adimpta, quibus completis venisse Christum id est natum, videamus, quid aliae VII et dimidia ebdomades quae sunt subdivisae in abscisione priorum ebdomadarum, in quo actu sint adimpta. [16] Post enim Augustum, qui supervixit post nativitatem Christi annis XV, efficiuntur: cui succedit Tiberius Caesar et imperium habuit annis XX et II mensibus VII diebus XX et VIII -- huius quintodecimo anno imperii patitur Christus annos habens quasi XXX cum pateretur --; item Caius Caesar qui et Caligula annis III mensibus VIII diebus XIII; Nero annis XI mensibus IX diebus XIII; Galba mensibus VII diebus VI; Otho mensibus III diebus V; Vitellius mensibus VIII diebus XX et VIII. Vespasianus anno primo imperii sui debellat Iudeos et fiunt anni L et II menses VI -- nam imperavit annis XII --, atque ita in die suae expugnationis Iudei impleverunt ebdomadas LXX praedictas in Danielo.

[17] Igitur expletis his quoque temporibus et debellatis Iudeis postea cessaverunt illic libamina et sacrificia quae exinde illic celebrari non poterunt. Nam et unctionis illic exterminata est post passionem Christi; erat enim praedictum exterminari illic unctionem, sicut in psalmis erat prophetatum: *Exterminaverunt manus meas et pedes*. [18] Quae passio Christi [huius exterminium] intra tempora LXX ebdomadarum perfecta est sub Tiberio Caesare, consulibus Rubellio Gemino et Rufio Gemino mense Martio temporibus paschae, die octavo Kalendarum Aprilium, die primo azymorum quo agnum occiderunt ad vesperam, sicut a Moyse fuerat praeceptum. Itaque omnis synagoga filiorum Israelis eum interfecit dicentes ad Pilatum, cum eum vellet dimittere: *Sanguis huius super nos et super filios nostros, et: Si hunc dimiseris, non es amicus Caesaris*, ut adimpleri omnia possent quae de eo fuerant scripta.

IX. [1] Incipiamus igitur probare nativitatem Christi a prophetis esse nuntiatam, sicut Esaias praedicat: *Audite domus David! Non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam deus praestat agonem; propter hoc ipse deus dabit vobis signum: ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur nobiscum deus; butyrum et mel manducabit, quoniam priusquam cognoscat infans vocare patrem aut matrem accipiet virtutem Damasci et spolia Samariae adversus regem Assyriorum*. "Itaque, dicunt Iudei, provocemus istam praedicationem Esaiae et faciamus comparationem, an Christus qui iam venit, competat illi primo nomen quod Esaias praedicavit et signa eius quae de eo nuntiavit; et quidem Esaias praedicat eum Emmanuel vocitari oportere, dehinc virtutem sumpturum Damasci et spolia Samariae adversus regem Assyriorum. [2] Porro iste, dicunt, qui venit neque sub eiusmodi nomine est dictus neque re bellica functus." At nos e contrario admonendos eos existimamus, cohaerentia quoque huius capituli recognoscant. Subiuncta est enim interpretatio Emmanuel 'nobiscum deus', uti non solum sonum nominis species sed et sensum. Sonus enim Hebraicus quod est Emmanuel interpretationem habet quod est

nobiscum deus. [3] Quaere ergo, an ista vox 'nobiscum deus' quod est Emmanuel exinde quod Christus inluxit agitur in Christo, et, puto, non negabis. Nam qui ex Iudaismo credunt in Christum, ex quo in eum credunt, Emmanuel, cum volent dicere nobiscum deum esse, significant, atque ita constat iam venisse illum qui praedicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel venit id est nobiscum deus. [4] Aequo sono nominis inducuntur, cum virtutem Damasci et spolia Samariae et regnum Assyriorum sic accipiunt, quasi bellatorem portendant Christum, non animadverentes quia scriptura praemittat: *Quoniam priusquam cognoscat puer vocare patrem aut matrem accipiet virtutem Damasci et spolia Samariae adversus regem Assyriorum.*

[5] Ante est enim inspicias aetatis demonstrationem, an virum iam Christum exhibere ista aetas posset nedum imperatorem; scilicet vagitu ad arma esset convocatus infans et signum belli non tuba sed crepitaculo daturus nec ex equo vel de muro sed de nutricis aut gerulae suae dorso sive collo hostem designaturus atque ita Damascum et Samariam pro mammis subacturus. [6] Aliud est, si penes vos infantes in proelia erumpunt, credo, ad solem uncti prius dehinc pannis armati et butyro stipendiati, qui ante norint lanciare quam lancinare. Enimvero si nusquam hoc natura concedit, ante militare quam virum facere, ante virtutem Damasci sumere quam patrem nosse, sequitur ut figurate pronuntiatum videatur.

[7] "Sed et virginem, dicunt, parere natura non patitur et tamen credendum est prophetae." Et merito; praestruxit enim fidem incredibili rei dicendo quod signum esset futurum: *Propterea, inquit, dabitur vobis signum: ecce virgo concipiet in utero et pariet filium.* Signum autem a deo, nisi novitas aliqua monstruosa fuisse, signum non videretur. [8] Denique si, quando ad deiciendos aliquos ab hac divina praedicatione vel convertere simplices quosque gestitis, mentiri audetis, quasi non virginem sed iuvenculam concepturam et paritaram scriptura contineat, hinc quoque revincimini, quod nihil signi videri possit res cotidiana, iuvenculae scilicet praegnatus et partus. In signum ergo nobis posita virgo mater merito creditur, infans vero bellator non aequo. [9] Neque enim et hic signi ratio versaretur, sed signo nativitatis novae adscripto exinde post signum aliis iam ordo infantis edicitur, mel et butyrum manducaturum. Nec hoc utique in signum; est infantiae. "Sed accepturum virtutem Damasci et spolia Samariae adversus regem Assyriorum, hoc est mirabile signum." [10] Servate modum aetatis et quaerite sensum praedicationis, immo redditte veritati quae credere non vultis, et intellegitur propheta quae renuntiatur expuncta. credantur orientales illi magi infantiam Christi regem auro et ture munerantes, et accepit infans virtutem Damasci sine proelio et armis. [11] Nam praepter quod omnibus notum est orientis virtutem id est enim vires auro et odoribus pollere solitam, certe est divinis scripturis virtutem ceteram quoque gentium aurum constituere, sicut per Zachariam dicit: *Et Iudas praetendet apud Hierusalem et congregabit omnem valentiam populorum per circuitum, aurum et argentum.* [12] Nam de hoc auri munere etiam David dicit: *Et dabitur illi ex auro Arabiae*, et rursus: *Reges Arabum et Saba dona adferent illi.* Et magos reges fere habuit oriens et Damascus Arabiae retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophenicen ex distinctione Syriarum. Cuius tunc virtutem Christus accepit accipiendo insignia eius, aurum scilicet et odores, spolia autem Samariae ipsos magos, qui, cum illum cognovissent et muneribus honorassent et genu posito adorassent qua dominum et regem sub testimonio indicis et ducis stellae, spolia sunt facti Samariae id est idolatriae, credentes videlicet in Christum. [13] Idolatriam enim Samariae nomine notavit, ut ignominiosae ob idolatriam quae desciverat tunc a deo sub rege Hieroboam. Nec hoc enim novum scripturis divinis, figurate uti translatione nominum ex comparatione criminum. [14] Nam archontas Sodomorum appellat archontas vestros et populum vestrum populum Gomorras vocat, cum iam essent istae civitates olim extinctae. Et alibi per prophetam ad populum Israelem: *Pater, inquit, tuus Amorraeus et mater tua Cethaea*, quorum ex genere procreati non sunt, sed ob consimilem impietatem, quos aliquando etiam filios suos dixerat: *Filios genui et exaltavi.* [15] Sic et Aegyptus nonnumquam totus orbis intellegitur apud illum superstitionis elogio; sic et Babylon apud Iohannem nostrum Romae urbis figura est proinde et magnae et regno superbae et sanctorum

debellatricis. Hoc itaque modo magos quoque Samaritanorum appellatione titulavit dispolios quod habuerant cum Samaritanis, ut diximus, idolatria adversus dominum. [16] Adversus regem autem Assyriorum adversus diabolum, qui adhuc se regnare putat, si sanctos a religione dei deturbet.

Adiuvabitur haec nostra interpretatio, dum et alibi bellatorem Christum scripturae designant ob armorum quorundam vocabula et eiusmodi verba, sed ex reliquorum sensuum comparatione convincentur Iudei. *Accingere*, inquit David, *ense super femur*. [17] Sed quid supra legis de Christo? *Tempestivus decore super filios hominum, effusa est gratia in labiis tuis*. Valde autem absurdum est, si, quem ad bellum ense cingebat, ei de tempestivitate decoris et labiorum gratia blandiebatur. De quo subiungens dicebat: *Extende et prospera procede et regna*, et adicit: *Propter lenitatem et iustitiam tuam*. Quis ense operabitur et non contraria lenitati et iustitiae exercet, id est dolus et asperitatem et iniustitiam propriam scilicet negotii proeliorum? [18] Videamus ergo, an alias sit ensis ille cuius est alias actus, id est dei sermo divinus bis acutus, ut duobus testamentis legis antiquae et legis novae, acutus sapientiae aequitatem, reddens unicuique secundum actum suum. [19] Licuit ergo et Christo dei in psalmis sine bellicis rebus ense sermonis dei praecincti figurato, cui praedicta tempestivitas congruat cum gratia labiorum, quem tunc cingebatur super femur apud David, quando venturus in terris ex dei patris decreto nuntiabatur: *Deducet te*, inquit, *magnifice dextera tua*, virtus scilicet gratiae spiritualis de qua Christi agnitus deducitur; *sagittae tuae*, inquit, *acutae* -- per volantia ubique dei praecepta -- minantes traductionem uniuscuiusque cordis et compungentes et transfigentes conscientiam quamque; *populi sub te cadent*, utique adorantes. [20] Sic bellipotens et armiger Christus est, sic accipiet spolia non solius Samariae verum et omnium gentium. Agnosce et spolia figurata, cuius et arma allegorica didicisti, atque ita in tantum Christus qui venit non fuit bellator, quia non talis ab Esaia praedicabatur. "Sed si Christus, inquiunt, qui venturus creditur non Jesus dicitur, quare is qui venit Jesus Christus appellatur?" [21] Constat autem utrumque nomen in Christo dei, in quo invenitur etiam Jesus appellatus. Disce et erroris tui morem: dum Moysi successor destinaret Auses filius Naue, transfertur certe de pristino nomine et incipit vocari Jesus. "Certe", inquis. Hanc prius dicimus figuram futuri fuisse. [22] Nam quia Jesus Christus secundum populum, quod sumus nos nationes in saeculi deserto commorantes ante, introducturus esset in terram reprobationis melle et lacte manantem, id est in vitae aeternae possessionem qua nihil dulcius, idque non per Moysen id est non per legis disciplinam, sed per Iesum id est per novae legis gratiam provenire habebat circumcisio nobis petrina acie id est Christi praecepsis -- petra enim Christus multis modis et figuris praedicatus est --, ideo is vir qui in huius sacramenti imagines parabatur etiam nominis dominici inauguratus est figura, ut Jesus nominaretur. Nam qui ad Moysen loquebatur, ipse erat dei filius qui et semper videbatur; deum enim patrem nemo umquam vidit et vixit. [23] Et ideo constat ipsum dei filium Moyse esse locutum et dixisse ad populum: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, id est populi, qui te custodiat in itinere et introducat te in terram quam praeparavi tibi. *Intendite illi et audite eum et ne inobaudiens fueris ei; non enim celabit te, quoniam nomen meum super illum est*, populum enim introducturus erat Jesus in terram reprobationis, non Moyses. Angelum quidem dixit eum ob magnitudinem virtutum quas erat editurus -- quas virtutes fecisset Jesus Naue, et ipsi legistis -- et ob officium prophetae nuntiantis scilicet divinam voluntatem, sicuti et praecursorem Christi Iohannem futurum angelum appellat per prophetam spiritus dicens ex persona patris: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, id est Christi, qui praeparabit viam tuam ante te. Nec novum est spiritui sancto angelos appellare eos quos ministros suaे virtutis deus praeficit. [24] Idem enim Iohannes non tantum angelus Christi vocatus est sed et lucerna lucens ante Christum. *Paravi enim lucernam Christo meo* David praedicat. + quem + ipse Christus veniens adimplere prophetas dicit ad Iudeos: *Ille fuit*, inquit, *lucerna ardens et lucens*, utpote qui non tantum vias eius parabat in eremo sed et agnum dei demonstrando inluminabat mentes hominum praeconio suo, ut eum esse intellegerent agnum quem Moyses passum

nuntiabat. [25] Sic et Iesus ob nominis sui futurum sacramentum. Id enim nomen suum confirmavit quod ipse ei indiderat, quia non angelum nec Ausen sed Iesum eum iusserat exinde vocari. Sic igitur utrumque nomen competit Christo dei, ut et Iesus appellaretur.

[26] Et quoniam ex semine David genus trahere deberet virgo ex qua nasci oportuit Christus, ut supra memoravimus, evidenter propheta in sequentibus dicit: *Et nasceretur, inquit, virga de radice Iesse, quod est Maria, et flos de radice ascendet et requiescat in illum spiritus dei: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus agnitionis et pietatis, spiritus consilii et virtutis, spiritus timoris dei implebit illum.* [27] Neque enim ulli hominum universitas spiritualium documentorum competit nisi Christo, flori quidem ad gloriam ob gratiam adaequato, ex stirpe autem Iesse deputato per Mariam, scilicet inde censendam. Fuit enim de patria Bethleem et de domo David, sicuti apud Romanos in censu descripta est Maria ex qua nascitur Christus. Expostulo etiam, [ut] qui a prophetis praedicabatur ex Iesse genere venturus et omnem humilitatem et patientiam et tranquillitatem [esset] exhibitus an venerit, [28] atque ita is homo qui talis ostenditur ipse erit Christus qui venit. De hoc enim propheta dicit: *Homo in plaga positus et sciens ferre imbecillitatem, qui tamquam ovis ad victimam ductus est et tamquam agnus coram tondente se non aperuit os suum.* Si neque contendit neque clamavit neque audita est foris vox eius, qui arundinem contusam, Israelis fidem, non comminuit, qui linum ardens, id est momentaneum ardorem gentium, non restinxit, sed lucere magis fecit ortu luminis sui, non potest aliis esse quam qui praedicabatur. [29] Oportet itaque actum Christi eius qui venit ad scripturarum regulam recognosci; dupli enim, nisi fallor, operatione distinctum eum legimus, praedicationis et virtutis.

Sed de utroque titulo sic <sit> dispositum. Itaque specialiter dispungamus ordinem coeptum docentes praedicatorem adnuntiatum Christum, ut per Esaiam:

[30] *Exclama, inquit, in vigore et ne pepercenis, exalta ut tuba vocem tuam et adnuntia plebi meae facinora ipsorum et domui Jacob delicta eorum. Me de die in diem quaerunt et cognoscere vias meas cupiunt, quasi populus qui iustitiam fecerit et iudicium dei non reliquerit et reliqua -- virtutes autem facturum a patre: Ecce deus noster iudicium retribuet, ipse veniet et salvos faciet nos; tunc infirmi curabuntur et oculi caecorum videbunt et aures surdorum audient et mutorum linguae solventur et claudus saliet velut cervus et cetera.* [31] Quae operatum Christum nec vos diffitemini, utpote qui dicebatis, quod non propter opera eum lapidaretis, sed quoniam ista sabbatis faciebat.

X. [1] De exitu plane passionis eius ambigit negantes passionem crucis in Christum praedicatam et argumentantes insuper non esse credendum, ut ad id genus mortis exposuerit deus filium suum, quod ipse dixit: *Maledictus omnis qui pependerit in ligno.* Sed huius maledictionis sensum antecedit rerum ratio. [2] Dicit enim in Deuteronomio: *Si autem fuerit in aliquo delictum ad iudicium mortis et morietur et suspendetis in ligno, non manebit corpus eius in ligno, sed sepultura sepelietis eum ipsa die, quoniam maledictus a deo est omnis qui suspensus fuerit in ligno, et non inquinabitis terram quam dominus deus tuus dabit tibi in sortem.* [3] Igitur non in hanc passionem Christum maledixit, sed distinctionem fecit, ut, qui in aliquo delicto iudicium mortis habuissebet moreretur suspensus in ligno, hic maledictus a deo esset, qui propter merita delictorum suorum suspenderetur in ligno. [4] Alioquin Christus qui dolum de ore suo locutus non est quique omnem iustitiam et humilitatem exhibuit, et ut supra de eo praedictum memoravimus, non pro meritis suis in id genus mortis expositus est, sed ut ea quae praedicata sunt a prophetis per vos ei obventura implerentur, sicut in psalmis ipse spiritus Christi iam canebat dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis,* et: *Quae non rapueram tunc exsolvebam, et: Exterminaverunt manus meas et pedes, et: Miserunt in potum meum fel et in siti mea potaverunt me aceto,* et: *Super vestem meam miserunt sortem,* sicuti cetera quae in illum commissuri essetis praedicta sunt. [5] Quae quidem omnia ipsa perpessus non pro actu suo aliquo malo passus est, sed ut scripturae implerentur de ore prophetarum. Et utique sacramentum passionis ipsius figurari in praedicationibus

oportuerat, quantoque incredibile, tanto magis scandalum futuram si nude praedicaretur, quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam a deo quaereret.

[6] Itaque imprimis Isaac, cum a patre hostia duceretur lignum[que] ipse sibi portans, Christi exitum iam tunc denotabat in victimam concessi a patre lignum passionis suaे baiulantis. Ioseph et ipse Christum figuratus vel hoc solo, ne cursum demorer, quod persecutionem a fratribus passus est et venumdatus in Aegyptum ob dei gratiam, sicut et Christus ab Israele, carnaliter a fratribus venumdatus, a Iuda cum traditur. [7] Nam et benedicitur a patre in haec verba Ioseph: *Tauri decor eius, cornua unicornis cornua eius; in eis nationes ventilabit pariter ad summum usque terrae.* Non utique rhinoceros destinabatur unicornis nec minotaurus bicornis, sed Christus in illo significabatur, taurus ob utramque dispositionem, aliis feras ut iudex aliis mansuetus ut salvator, cuius cornua essent crucis extima -- nam et in antemna navis quae crucis pars est hoc extremitates eius vocantur --, unicornis autem medio stipite palus. [8] Hac denique virtute crucis et hoc more cornutus universas gentes et nunc ventilat per fidem auferens a terra in caelum et tunc ventilabit per iudicium deiciens de caelo in terram. Idem erit et alibi taurus apud eandem scripturam. Cum Iacob in Simeonem et Levi porrexit benedictionem, de scribis et pharisaeis prophetat; ex illis enim deducitur census illorum. [9] Interpretatur enim spiritualiter sic: *Simeon et Levi perfecerunt iniquitatem ex sua secta, qua scilicet Christum sunt persecuti; in concilium eorum ne veniat anima mea et in statiom eorum ne incubuerint viscera mea, quoniam in indignatione sua interfecerunt homines, id est prophetas, et in concupiscentia sua subnervaverunt taurum, id est Christum quem post necem prophetarum interfecerunt et nervos eius suffigendo clavis desaevierunt.* [10] Ceterum vanum, si post homicidia iam ab eis commissa + aliis et non ipsis + exprobrat carnificinam. Iam vero Moyses quid utique tunc tantum, cum Iesus adversus Amalech proeliabatur, expansis manibus orabat residens, quando in rebus tam attonitis magis utique genibus positis et manibus caendentibus pectus et facie humi volutante orationem commendare debuisset, nisi quia illic, ubi nomen domini Iesu dicebat dimicaturi quandoque adversus diabolum, crucis habitus quoque erat necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus ? Idem rursus Moyses post interdictam omnis rei similitudinem cur aereum serpentem ligno impositum pendentis habitu in spectaculum Israeli salutare proposuit eo tempore quo a serpentibus post idolatriam exterminabantur, nisi quod hic dominicam crucem intentabat, qua serpens diabolus designabatur et laesus quisque ab eiusmodi colubris id est angelis eius a delictorum peccantia ad crucis istius sacramenta intentus salvus efficiebatur ? nam qui in illam tunc respiciebat a morsu serpentium liberabatur.

[11] Age nunc, si legisti penes prophetam in psalmis: *Dominus regnavit a ligno*, expecto quid intellegas, ne forte lignarium aliquem regem significari putetis et non Christum qui exinde a passione ligni superata morte regnavit. Proinde et Esaias: *Quoniam puer, inquit, natus est vobis et datus est vobis filius;* quid novum, si non de filio dei dicit ? -- Et datus est vobis *cuius imperium [initium] factum est super humerum ipsius.*

[12] Quis omnino regum insigne potestatis suaे humero praeferet et non aut capite diadema aut manu sceptrum aut + aliqua proprietate usus nova + ? Sed solus novus rex aeorum Christus Iesus novam gloriam et potestatem et sublimitatem suam in humero extulit, crux scilicet, ut secundum superiorē prophetiam exinde dominus regnaret a ligno. De hoc enim ligno etiam deus per Hieremiam insinuat quod essetis dicturi: *Venite, immittamus in pane eius lignum et conteramus eum a terra vivorum et nomen illius non memorabitur amplius.* Utique in corpus eius lignum missum est. Sic enim Christus revelavit panem corpus suum appellans, cuius retro corpus in pane prophetes nuntiavit. [13] Si adhuc quaeris dominicae crucis praedicationes, satis iam poterit tibi facere vicesimus primus psalmus totam Christi continens passionem canentis iam tunc gloriam suam: *Foderunt, inquit, manus meas et pedes, quae propria est atrocitas crucis.* Et rursus, cum auxilium patris implorat: *Salvum me fac,* inquit, *ex ore leonis, utique mortis, et de cornibus unicorniorum humiliatem meam,* de

apicibus scilicet crucis, ut supra ostendimus. [14] Quam crucem nec ipse David passus est nec ullus regum Iudeorum, ne putetis alterius alicuius prophetari passionem quam eius qui solus a populo tam insigniter crucifixus est.

Nunc si omnes istas interpretationes respuerit et inriserit duritia cordis vestri, probabimus sufficere posse mortem Christi prophetatam, ut ex hoc quod non esset edicta qualis mors intellegatur per crucem evenisse nec alii deputandam fuisse passionem crucis quam cuius mors praedicabatur. [15] Nam mortem eius et passionem et sepulturam una voce Esaiae volo ostendere: *A facinoribus, inquit, populi mei perductus est ad mortem et dabo malos pro sepultura eius et divites pro morte eius, quia scelus non fecit nec dolus in ore eius inventus est; et deus voluit eximere a morte animam eius* et cetera. [16] Dicit etiam adhuc: *Sepultura eius sublata est e medio*. Nec sepultus enim est nisi mortuus nec sepultura eius sublata est e medio nisi per resurrectionem eius. Denique subiungit: *Propterea ipse multos in hereditatem habebit et multorum dividet spolia -- quis alius nisi qui + natus + est, ut supra ostendimus ? -- pro eo quod tradita est in mortem anima eius*. Ostensa enim causa gratiae eius, pro iniuria scilicet mortis repensanda, pariter ostensem est haec illum propter mortem consecuturum post mortem, utique post resurrectionem, consecuturum. [17] Nam quod in passione eius accidit, ut media dies tenebresceret, Amos propheta adnuntiat dicens: *Et erit, inquit, in die illa, dicit dominus: occidet sol media die et tenebrescit super terram dies luminis et convertam dies festos vestros in luctum et omnia cantica vestra in lamentationem et imponam super lumbos vestros saccum et super omne caput calvium et ponam eum quasi luctum dilecti et eos qui cum illo quasi diem maeroris.* [18] Hoc enim et Moyses initio primi mensis novorum facturos vos prophetavit, cum omne vulgus filiorum Israelis ad vesperam agnum esset immolaturum, et hanc sollemnitatem diei huius id est paschae azymorum cum amaritudine manducatueros praecanebat et adiecit pascha esse domini id est passionem Christi, quod ita quoque adimpletum est, ut prima die azymorum interficeretis Christum. [19] Et ut prophetiae implerentur, properavit dies vesperam facere id est tenebras efficere, quae media die factae sunt, atque ita dies festos vestros convertit deus in luctum et cantica vestra in lamentationem. Post enim passionem Christi etiam captivitas vobis et dispersio obvenit praedicata ante per spiritum sanctum.

XI. [1] Nam et pro istis meritis vestris cladem futuram Ezechiel nuntiat, et non solum in isto saeculo quae iam evenit, sed in die retributionis quae subsequetur. Qua clade nemo liberabitur, nisi qui passionem Christi quem respuitis fuerit obsignatus. [2] Sic enim scriptum est: *Et dixit ad me: fili hominis, vidisti quae seniores Israelis faciunt, unusquisque eorum in tenebris, unusquisque in cubiculo absconso ? Quoniam dixerunt: non videt nos dominus, dereliquit dominus terram. Et dixit ad me: adhuc conversus videbis facinora maiora quae isti faciunt.* [3] *Et introduxit me ad limina ianuae domus domini quae aspicit ad aquilonem, et ecce illic mulieres sedentes et plangentes Thamuz. Et dixit dominus ad me: fili hominis, vidisti? Numquid modica domus Iuda, ut faciant facinora quae fecerunt? Et adhuc visurus es adfectiones maiores eorum.* [4] *Et introduxit me in aedem domus domini interiorum, et ecce in liminibus templi domini inter medium elam et inter medium altaris quasi viginti et quinque viri: posteriora sua dederunt ad templum domini et facies suas contra orientem; hi adorabant solem.* [5] *Et dixit ad me: vides, fili hominis? Numquid pusilla domus Iuda, ut faciant facinora quae fecerunt hic? Quoniam impleverunt impietas suas, et ecce ipsi quasi subsannantes, et ego faciam cum indignatione mea; non parcer oculus meus, sed neque miserebor; et clamabunt ad aures meas voce magna et non exaudiam eos, sed neque miserebor.* [6] *Et exclamavit in aures meas voce magna dicens: adproximavit vindicta civitatis huius. Et unusquisque habuit vasa exterminii in manu sua, et ecce sex viri veniebant a via portae altae quae aspiciebat ad aquilonem, et uniuscuiusque bipennis dispersionis erat in manu eius.* [7] *Et unus vir in medio eorum indutus podere et zona saphiri circa lumbos eius, et introierunt et steterunt proximi altaris aerei, et claritas dei Israelis ascendit a Cherubin quae fuit super ea in subdivis domus.* [8] *Et vocavit hominem qui indutus erat podere, qui habuit super lumbos suos zonam, et dixit ad eum dominus: transi medium Hierusalem et scribe signum in frontibus virorum qui gemunt et dolent super omnia facinora*

quae fiunt in medio eorum, et in his dixit ad <me> audientem: ite post eum in civitatem et concidite et nolite parcere oculis vestris, et ne misereamini senioris aut iuvenis aut virginis, et parvulos et mulieres interficie omnes ut perdeantur, ad omnes autem super quos est [Tau] signum ne accesseritis, et a sanctis meis incipite. [9] Huius autem signi sacramentum, variis modis praedicatum, est in quo vita hominibus praestribatur, in quod Iudei non essent credituri, sicut Moyses ante nuntiabat in Exodo dicens: *Eiciemini de terra in qua introibitis, et in nationibus illis non eritis in requiem, et erit instabilitas vestigii pedis tui, et dabit tibi deus cor taedians et tabescentem animam et oculos deficientes ut non videant, et erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos et non credes vitae tuae.*

[10] Itaque quoniam impletae prophetiae per adventum eius id est per nativitatem quam supra memoravimus et passionem quam evidenter ediximus, propterea et Daniel signari visionem et propheten dicebat, quoniam Christus est signaculum omnium prophetatum adimplens omnia quae retro erant de eo nuntiata; post enim adventum eius et passionem ipsius iam non visio neque prophetae. Unde firmissime dicit adventum eius signare visum et prophetiam. [11] Itaque ostendentes et numerum annorum et tempus LX et II et dimidiae ebdomadarum adimpletarum probavimus tunc venisse Christum id est natum, et septem et dimidiae ebdomadarum, quae sunt subdivisae in abscisione priorum ebdomadarum, -- intra quae tempora passum ostendimus Christum atque ita LXX ebdomadibus conclusis et civitate exterminata et sacrificium et unctionem exinde cessare.

Sufficit hucusque de his interim ordinem Christi decucurrisse, quod talis probatur qualis adnuntiabatur [ut] iam ex ista consonantia scripturarum, qua ex praeiudicio maioris partis adversus Iudeos elocuti sumus; neque enim in dubium deducant vel negent quae scripta proferimus, ut ex hoc quoque paria esse scripturis divinis negare non possint, ut quae post Christum futura praecanebantur adimpta cognoscantur.

[12] Neque, nisi ille venisset post quem habebant expungi quae nuntiabantur, quae completa sunt etiam probarentur. XII. [1] Aspice universas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad dominum deum creatorem et Christum eius, et, si audes negare prophetatum, statim tibi promissio patris occurrit in psalmis dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te; pete a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* [2] Nec poteris alium dei filium dicere quam Christum aut terminos terrae David potius promissos qui intra unicam Iudeam regnavit quam Christo qui totum iam orbem evangelii sui fide cepit, sicut per Esaiam dicit: *Ecce dedi te in dispositionem generis mei, in lucem gentium, aperire oculos caecorum, utique errantium, solvere de vinculis vinctos,* id est de delictis liberare, *et de domo carceris,* id est mortis, *sedentes in tenebris, ignorantiae scilicet.* Quae si per Christum eveniunt, non in alium erunt prophetata quam per quem expuncta consideramus.

XIII. [1] Igitur quoniam filii Israelis adfirmant nos errare recipiendo Christum qui iam venit, praescribamus eis ex ipsis scripturis iam venisse Christum qui praedicabatur, quamvis ex temporibus Danielis praedicantis probaverimus iam venisse Christum qui nuntiabatur. Nasci enim eum oportuit in Bethleem Iudee. [2] Sic enim scriptum est in propheta: *Et tu, Bethleem, non minima es in ducibus Iudee; ex te enim exiet dux qui pascet populum meum Israelem.* Si autem adhuc natus non est, qui processurus dux de tribu Iuda ex Bethleem nuntiabatur? [3] Oportebat enim eum de tribu Iuda et a Bethleem procedere. Animadvertisimus autem nunc neminem de genere Israelis in civitate Bethleem remansisse exinde quo interdictum est, ne in confinio ipsis regionis demoretur quisquam Iudeorum, ut hoc quoque esset adimpletum, id est propheta: [4] *Terra vestra deserta, civitates vestrae igni exustae* -- id est quod belli tempore eis evenerit --, *regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, et deserta et subversa erit a populis alienis,* id est a Romanis. Et alio loco sic propheta dicit: *Regem cum claritate videbitis, id est Christum facientem virtutes in gloriam dei patris, et oculi vestri videbunt terram de longinquso, quod vobis pro meritis vestris post expugnationem*

Hierusalem prohibitis ingredi in terram vestram de longinquo eam oculis tantum videre permissum est; *anima*, inquit, *vestra meditabitur timorem*, scilicet quod tempore excidii sui passi sunt. [5] Quomodo igitur nasceretur dux de Iuda et quatenus procedet de Bethleem, sicuti divina prophetarum volumina nuntiant, cum nullus omnino sit illic in hodiernum derelictus ex Israele, cuius ex stirpe possit nasci Christus? Si enim secundum Iudeos adhuc non venit, cum venire cooperit unde unguetur? [6] Lex enim praecepit in captivitate non licere unctionem chrismatis regalis confici. Si autem iam nec unctio est illic, ut Daniel prophetavit -- dicit enim *exterminabitur* --, ergo iam non est illic unctio, quia nec templum ubi erat cornu de quo reges unguebantur. [7] Si ergo non est unctio, unde unguetur dux qui nasceretur in Bethleem aut quomodo procedet de Bethleem, cum de semine Israelis nullus omnino sit in Bethleem?

[8] Iterato denique ostendamus et venisse iam Christum secundum prophetas et passum et in caelis iam receptum et inde venturum secundum praedicationes prophetarum.

[9] Nam post adventum eius secundum Danielem quod ipsa civitas exterminari haberet, legimus et ita factum recognoscimus. Dicit enim scriptura sic: civitatem et sanctum simul exterminari cum duce. Quo duce? Indubitate qui de Bethleem et de tribu Iuda esset processurus. [10] Unde et manifestum est, quod civitas simul eo tempore exterminari deberet, cum ducator eius in ea pati haberet secundum scripturas prophetarum dicentium: *Expandi manus meas tota die ad populum contumacem et contradicentem mihi, qui ambulant via non bona sed post peccata sua.* Item in psalmis: *Exterminaverunt manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi autem contemplati sunt et viderunt me, et: In siti mea potaverunt me acetum.* [11] Haec David passus non est, ut de se merito dixisse videatur, sed Christus qui crucifixus est: manus et pedes non exterminantur nisi eius qui in ligno suspenditur. Unde et ipse David regnaturum ex ligno dominum dicebat; nam et alibi propheta ligni huius fructum praedicat dicens: *Terra dedit benedictiones suas, utique illa terra virgo nondum pluviis irrigata nec imbris fecundata, ex qua homo tunc primum plasmatus est, ex qua nunc Christus secundum carnem ex virgine natus est; et lignum, inquit, tulit fructum suum, non illud lignum in paradiiso quod mortem dedit protoplastis, sed lignum passionis Christi unde vita pendens a vobis credita non est.* [12] Hoc enim lignum tunc in sacramento, cum Moyses aquam amaram indulcavit unde populus qui siti periebat in eremo bibendo revixit, sicuti nos qui de saeculi calamitatibus extracti in quo commorabamur siti pereunte, id est verbo divino probati, ligno passionis Christi per aquam baptismatis potantes fidem quae est in eum reviximus. [13] A qua fide Israel excidit secundum Hieremiam prophetam dicentem: *Mittite, interrogate nimis, si facta sunt talia, si mutabunt gentes deos suos et isti non sunt dii; populus autem meus mutavit gloriam suam, ex quo nihil proderit eis; expavit caelum super isto.* Et quando expavit? Indubitate quando passus est Christus. [14] *Et horruit, inquit, plurimum nimis.* Et quando horruit nimis nisi in passione Christi, cum terra quoque contremuit et sol media die tenebricavit et velum templi scissum est et monumenta dirapta sunt? *Quoniam, inquit, duo haec nequam fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vitae et foderunt sibi lacus contritos qui non poterunt aquam continere.* [15] Indubitate non recipiendo Christum fontem aquae vitae lacus contritos coeperunt habere, id est synagogas in dispersiones gentium, in quibus iam spitus sanctus non immoratur, ut in praeteritum in templo commorabatur ante adventum Christi qui est verum dei templum. [16] Nam et istam sitim divini spiritus eos passuros praedicat propheta dicens: *Ecce qui servient mihi manducabunt, vos autem esurietis; servientes mihi potabuntur, vos autem sitiatis et a contribulatione spiritus ululabis; remittetis enim nomen vestrum in satietatem electis meis, vos autem interficiet dominus; eis autem qui servient mihi nomen nominabitur novum quod benedicetur in terris.*

[17] Adhuc huius ligni sacramentum etiam in Regnorum legimus celebratum. Nam cum filii prophetarum super flumen Iordanem lignum securibus caederent, exsiliit ferrum et mersum est in flumine, atque ita Helisaeo propheta superveniente petunt ab eo filii prophetarum, uti ferrum flumini quod immersum fuerat erueret. [18] Atque

ita [Helisaeus] accepto ligno et misso in eum locum ubi submersum fuerat, ferrum statim supernatavit, quod repererunt filii prophetarum, et lignum mersum est. Ex quo intellexerunt, quod Heliae spiritus in eum sit repraesentatus. [19] Quid manifestius huius ligni sacramento, quod duritia huius saeculi mersa in profundo erroris et a ligno Christi id est passionis eius in baptismo liberatur, ut quod perierat olim per lignum in Adam id restitueretur per lignum Christi, nobis scilicet qui successimus in loco prophetarum ea sustinentes hodie in saeculo quae semper passi prophetae propter divinam religionem; [20] alios enim lapidaverunt, alios fugaverunt, plures vero ad necem tradiderunt, quod negare non possunt. Hoc lignum sibi et Isaac filius Abrahae ad sacrificium ipse portabat, cum sibi eum deus hostiam fieri preecepisset. [21] Sed quoniam haec fuerant sacramenta quae temporibus Christi perficienda servabantur, et Isaac cum ligno servatus est ariete oblato in vepre cornibus haerente et Christus suis temporibus lignum humeris suis portavit inhaerens cornibus crucis corona spinea capiti eius circumdata. Hunc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium qui *tamquam ovis ad victimam ductus est et velut agnus coram tondente se sine voce sic non aperuit os suum.* [22] Hic enim Pilato interroganti nihil locutus est; *in humilitate enim iudicium eius sublatum est. Nativitatem autem eius quis enarrabit?* Quare? Quia nullus omnino hominum nativitatis Christi fuit conscientius in conceptu, cum virgo Maria a verbo dei praegnans inveniretur, et quia tolleretur a terra vita eius. [23] Cur ita? Quia post resurrectionem eius a mortuis quae die tertia effecta est caeli eum repererunt secundum prophetiam emissam huiusmodi: *Ante lucem surgent ad me dicentes: eamus et revertamur ad dominum deum nostrum, quoniam ipse eripiet et liberabit nos post biduum die tertia,* quae est resurrectio eius gloriosa, cuius neque nativitatem neque passionem Iudei agnoverunt: de terra in caelos eum recepit, unde et venerat ipse spiritus ad virginem.

[24] Igitur quoniam adhuc contendunt Iudei necdum venisse Christum quem tot modis adprobavimus venisse, recognoscant [Iudei] exitum suum quem post adventum Christi relaturi praedicabantur ob impietatem qua eum et despicerunt et interfecerunt. Primo enim ex qua die secundum dictum Esiae proiecit homo abominamenta sua aurea et argentea quae fecerunt adorare vanis et nocivis, id est ex quo gentes nos dilucidati pectora per Christi veritatem proiecimus idola, vident Iudei et quod sequitur expunctum. [25] Tulit enim dominus Sabaoth a Iudeis et ab Hierusalem inter cetera et sapientem architectum qui aedificat ecclesiam, dei templum et civitatem sanctam et domum domini. Nam exinde destitit apud illos dei gratia et mandatum est nubibus, ne pluerent imbre super vineam Sorech, id est caelestibus beneficiis, ne provenirent domui Israelis. [26] Fecerat enim spinas ex quibus Christum coronaverat et non iustitiam sed clamorem quo in crucem eum extorserat. Et ita subtractis charismatis prioribus lex et prophetae usque ad Iohannem fuerunt et piscina Bethsaida usque ad adventum Christi: [valetudines ab Israele curare] desit a beneficiis deinde, cum ex perseverant furoris sui nomen domini per ipsos blasphemaretur, sicut scriptum est: *Propter vos nomen domini blasphematur in gentibus.* Ab illis enim incepit infamia, et tempus medium a Tiberio usque ad Vespasianum. Qui cum ista commisissent nec intellexissent Christum in tempore suaevit visitationis venientem, facta est terra eorum deserta et civitates eorum igni exustae; regionem ipsorum sub eorum conspectu extraneis devorantibus derelicta est filia Sion tamquam specula in vinea, velut in cucumerario casula, ex quo scilicet Israel dominum non cognovit et populus eum non intellexit, sed dereliquit magis et ad indignationem provocavit sanctum Israelis. [27] Sic et machaerae condicionalis comminatio: *Si nolueritis nec obaudieritis, gladius vos comedet.* Ex quo probamus machaeram Christum fuisse, quem non audiendo perierunt, qui et in psalmo dispersionem eis postulat a patre dicens: *Disperge eos in virtute tua.* Qui et rursus per Esaiam in exusionem eorum perorans: *Propter me, inquit, haec facta sunt vobis; in anxietate dormietis.* [28] Haec igitur cum pati praedicarentur Iudei propter Christum et passos eos inveniamus et in dispersionem demorari cernamus, manifestum est propter Christum

Iudeis ista accidisse conspirante sensu scripturarum cum exitu rerum et ordine temporum. [29] Aut si nondum venit Christus propter quem haec passuri praedicabantur, cum venerit ergo patientur. Et ubi tunc filia Sion relinquenda quae in Iudea hodie <non> est ? Ubi civitates exurendae quae iam in tumulis ? Ubi dispersio gentis quae iam extorris est? Redde statum Iudeae quem Christus inveniat et alium contendere venire.

XIV. [1] Discite nunc ex abundantia erroris vestri ducatum. Duos dicimus Christi habitus a prophetis demonstratos, totidem adventus eius praenotatos: unum in humilitate, utique primum, cum tamquam ovis ad victimam deduci habebat et tamquam agnus ante tondentem sine voce sic non aperiens os, ne aspectu quidem honestus. [2] *Adnuntiavimus enim, inquit, de illo: sicut puerulus, sicut radix in terra sipienti, et non erat ei species neque gloria, et vidimus eum et non habebat speciem neque decorum, sed species eius inhonorata, deficiens citra filios hominum, homo in plaga positus et sciens ferre infirmitatem,* scilicet ut positus a patre in lapidem offensionis et minoratus ab eo modicum citra angelos, vermem se pronuntians et non hominem, ignominiam hominis et abiectionem populi. [3] *Quae* ignobilitatis argumenta primo adventui competunt sicut sublimitatis secundo, cum fiet iam non lapis offensionis nec petra scandali, sed lapis summus angularis post reprobationem adsumptus et sublimatus in consummationem et petra sane illa apud Danielem de monte praecisa quae imaginem saecularium regnorum comminuet et conteret. [4] De quo secundo adventu eius prophetes: *Et ecce cum nubibus caeli tamquam filius hominis veniens usque ad veterem dierum et aderat in conspectu eius et qui adsistebant adduxerunt illum; et data est ei potestas regia et omnes nationes terrae secundum genus et omnis gloria serviens illi et potestas illius aeterna quae non auferetur et regnum eius quod non corrumpetur.* [5] Tunc scilicet speciem honorabilem et decorum habiturus est indeficientem supra filios hominum -- *tempestivus enim decore ultra filios hominum; effusa est gratia* [inquit] *in labiis tuis, propterea benedixit te deus in saecula; accingere ensem tuum circa femur tuum, potentissime tempestivitate et pulchritudine tua* --, cum et pater, posteaquam diminuit illum modicum quid citra angelos, gloria et honore coronavit illum et subiecit omnia sub pedibus eius. [6] Et tunc cognoscet eum quem pupugerunt et caident pectora sua tribus ad tribum, utique quod retro non agnoverint eum in humilitate condicionis humanae constitutum. *Et homo est, inquit Hieremias, et quis cognoscet illum, quia et nativitatem eius, inquit Esaias, quis enarrabit?*

[7] Sic et apud Zachariam [ait] in persona Iesu, immo et in ipsius nominis sacramento verissimus sacerdos patris Christus ipsius dupli habitu in duos adventus deliniatur: primo sordibus indutus id est carnis passibilis et mortalis indignitate, cum et diabolus adversabatur ei, auctor scilicet Iudee traditoris qui eum etiam post baptismum temptaverat, dehinc spoliatus pristinas sordes, exornatus podere et mitra et cidari munda id est secundi adventus, quoniam gloriam et honorem adeptus demonstratur. [8] Nec poteritis eum Iosedech filium dicere qui nulla omnino veste sordida sed semper sacerdotali fuit exornatus nec umquam sacerdotali munere privatus, sed Jesus iste Christus dei patris summi sacerdos qui primo adventu suo humanae formae et passibilis venit in humilitate usque ad passionem, ipse effectus etiam hostia per omnia pro omnibus nobis, qui post resurrectionem suam indutus podere sacerdos in aeternum dei patris nuncupatur. [9] Sic enim et duorum hircorum qui iejunio offerebantur faciam interpretationem. Nonne et illi utrumque ordinem Christi qui iam venit ostendunt, pares quidem atque consimiles propter eundem domini conspectum, quia non in alia venturus est forma, ut qui agnosci habet a quibus et laesus est; unus autem eorum circumdatus coccino maledictus et consputatus et convulsus et compunctus a populo extra civitatem abiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus Christi passionis qui coccinea circumdatus veste et consputatus et omnibus contumelii afflictus extra civitatem crucifixus est; alter vero pro delictis oblatus et sacerdotibus tantum templi in pabulum datus secundae repraesentationis argumenta signabat, quia delictis omnibus expiatis sacerdotes templi spiritalis id est ecclesiae dominicae gratiae quasi visceratione

quadam fruerentur ieunantibus ceteris a salute. [10] Igitur quoniam primus adventus et plurimis figuris obscuratus et omni in honestate prostratus caneatur, secundus vero et manifestus et deo dignus, idcirco quem facile et intellegere et credere potuerunt eum solum intuentes id est secundum qui est in honore et gloria non in merito decepti sunt circa obscuriorum certe indignorum id est primum. Atque ita in hodiernum negant venisse Christum suum, quia non in sublimitate venerit, dum ignorant in humilitate primum fuisse venturum.

[11] Sufficit hucusque de his interim ordinem Christi decucurrisse, quo talis probatur qualis adnuntiabatur, ut iam ex ista consonantia scripturarum divinarum [intellegamus] et quae post Christum futura praedicabantur ex dispositione divina credantur expuncta. Nisi enim ille venisset post quem habebant expungi, nullo modo evenissent quae in adventu eius futura praedicabantur. [12] Igitur si universas nationes de profundo erroris humani exinde emergentes ad deum creatorem et Christum eius cernitis, -- quod prophetatum non audetis negare, quia et si negaretis statim vobis in psalmis, sicuti iam praelocuti sumus, promissio patris occurreret dicentis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te; pete a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Nec poteritis in istam praedicationem magis David filium Solomonem vindicare quam Christum dei filium nec terminos terrae David filio promissos qui intra unicam Iudeam regnavit quam Christo filio dei qui totum iam orbem evangelii sui radiis inluminavit. [13] Denique et thronus in aevum magis Christo dei filio competit quam Solomoni, temporali scilicet regi qui solo Israeli regnavit. Christum enim hodie invocant nationes quae eum non sciebant et populi hodie ad Christum configiunt quem retro ignorabant. Non potes futurum contendere quod vides fieri. [14] Haec aut prophetata nega, cum coram videntur, aut adimpta, cum leguntur; aut si non negas utrumque, in eo erunt adimpta in quem sunt prophetata.

[\[Explicit...\]](#)

*Text edited by Herman Tränkle, 1964. Transcribed by Roger Pearse, 2002.
Verses added from CCSL, 1954.*

[] = in all MSS, but should be omitted.

<> = inserted by editor.

++ = dubious.

Selected Apparatus (from Kroymann)

I. INCIP ADVERSVS IVDEOS EIVSDE P. INCIP TERTVLLIANI LIB ADVERSVS IVDEOS NF. *Non comparet titulus in cod. T, sed in fine libelli legitur FINIT ADVSVS IVDEOS. 'Contra Iudeos' inscriptus fuisse hic liber videtur in deperdito cod. Fuldenzi (F), si fidem habere velis veteri bibliothecae Fuldensis catalogo saeculo decimo sexto conscripto (cf. C. Schrader apud F. Falk: Beiträge zur Rekonstruktion der alten bibliotheca Fuldensis, Leipzig 1902, p. 106), cum quo consentit indiculus cod. miscellanei Parisini 13047 (f).*
VI. ITEM DE SABBATO ET CIRCVMCISIONE ET LEGIS E NOVAE OBSERVATIONE SIC DIC PN, deest TF

adnuntiet] DE NATIVITATE XPI ADVENTVS PRIMVS PN, DE NATIVITATE XPI ET ADVENTV EIVS PRIMO F, *non comparet in Tf*

nam f, DE REGNO XPI AETERNO nam TPNF

DE PASSIONE XRI ET VASTATIONE IERVSALEM NFmg, in codd. TP eadem paulo infra post verba 'vastationis eius' leguntur.

IX. ITEM PROBATIO NATIVITATIS XPI P (*margini a manu librarii haec inveniuntur adscripta*): sensum capituli huius in libro III contra Marcionem plenius invenies, ITEM PROBATIO NATIVITATIS N, PROBATIO NATIVITATIS XRI SALVATORIS F, *titulus deest in Tf*

X. ITE NECANTES IVDEI PASSIONE XPI IN CRVCE TP, QVOD IVDEI NECANT PASSIONE XPI NF

quaereret] ITEM PATRIARCHE OSTENDVNT FIGVRA CRVCIS *TP*, QVOD PATRIARCHE OSTENDANT FIGVRAM SANCTAE CRVCIS *NF*

XI. ITE (ITE *om. P*) DE VASTATIONE ISRL POST PASSIONE XRI *TPN*, DE VASTATIONE ISRAHEL *F*

XII. DE CLARITATE GENTIV IN XRO IHV *P*

ante Quae in P leguntur : DE SECVNDO ADVENTV xri. haec eadem in T comparent paulo infra post verba : dum fiet.

[Explicit...]finit Aduersus iudeos. Incipit de carne *xri* ; nicasii uiuas in *xro* dno nro AMEN *T*. TERTVLLIANI ADVERVS IVDEOS EXPLICIT *P*. Explicit liber C. Septimii Florentis Tertuliani aduersus Iudeos *F. deest subscriptio in N*